

Tetrastichon  
HVGONIGROTIO I. C<sup>to</sup>.

De iis,  
quæ in hâc Tragœdiâ,  
Physiologicis.

**N**aturæ miranda canis, tam divite venâ,  
GROTI, ut mirâclum quilibet esse putet.  
Hoc si quis dignè cupiat celebrare, necesse est  
Ingenii ornatum dotibus esse tui.

ENOCH POTTEIVS.

In  
HVGONIS GROTI I. C<sup>ti</sup>.

Adamum Exulem.

**B**elgica par Graijsque, tuæque ô Romule genti,  
Seu pacem spectes, seu grave Martis opus.  
Ingenij dubio dudum certamine laudes  
Suspensæ steterunt, nec data palma fuit.  
Quippe pedem Tragico nemo insertare cothurno  
Ausus, & hoc solo Belgica victa modo.  
Verùm, euge! GROTI superavit munere, per quem  
Græcia nunc minor est, & minor Ausonia.

IOANNES MEVRSIVS.